



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

LXV. Vt victus aequaliter omnibus distribuatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

omnibus, quibus se coniunxerint, sapientia & bonorum operum exemplum & condimentum praebeant. Apud quem hospitari decreuerint, fama optima sit decoratus, & si fieri potest, domus hospitis in illa nocte non careat lumine, ne tenebrosus hostis occisionem, quod absit, inferat: ubi autem milites non excommunicatos congregare audierint, illuc pergere, non considerantes tam temporalem utilitatem quam aeternam animarum illorum salutem, dicimus. Illis autem fratribus in vltamarinis partibus spe subuectionis ita directis hac conuentione eos qui militari ordini se iungere perenniter voluerint recipere collaudamus, vt in praesentia episcopi illius prouinciae vterque conueniat, & voluntatem petentis praesul audiat: audita itaque petitione, mittat eum frater ad magistrum & ad fratres qui sunt in templo quod est in Ierusalem, & si vita eius est honesta talique consortio digna, misericorditer suscipiatur, si magistro & fratribus bonum videtur. Si vero interim obierit, pro labore & fatigatione, quasi vni ex fratribus, totum beneficium & fraternitas pauperum & commilitonum Christi ei impendatur.

## LXV.

*Vt victus aequaliter omnibus distribuatur.*

Illud quoque congrue & rationabiliter manutenendum censemus, vt omnibus fratribus remanentibus victus secundum loci facultatem aequaliter tribuatur: non enim est utilis personarum acceptio, sed infirmitatum necessaria est consideratio.

## LXVI.

*Vt milites templi decimas habeant.*

Credimus namque relictis affluentibus diuitiis vos spontanea paupertati esse subiectos, vnde decimas vobis communi vita viuentibus iuste habere hoc modo demonstrauimus. Si episcopus ecclesiae, cui decima iuste debetur, vobis caritatiue eam dare voluerit, assensu communis capituli de illis decimis quas tunc ecclesia possidere videtur vobis tribuere debet. Si autem laicus quilibet adhuc illam vel ex patrimonio suo damnabiliter amplectitur,